


CONCLVSIONES  
EX VNIVERSA  
ARISTOTELIS PHILO-  
SOPHIA, AD PVBLICAM  
DISPVATIONEM,  
IN ILLVSTRI ET CA-  
THOLICA ACADEMIA  
INGOLSTADIENSI,  
A DVOBVS E SOCIETATE IESV  
METAPHYSICÆ STVDIOSIS, SVB FI-  
nem totius Philosophiæ pridie D.  
VDALRICI Proposita.



INGOLSTADT,  
*Ex Typographia Ederiana, apud Andream  
Angermarium.*

---

ANNO CHRISTIANO  
M. DC. VII.



# DEO OPT. MAX. EIVS- QVE SANCTISS. MATRI.

## THESES. EX TOTO CURSV PHILOSO- PHICO.

### EX METAPHYSICIS.

#### I.

**P**rima Philosophia seu Metaphysica, quæ est Scientia theoricæ Sapientiæq; vocatur, Ens Deo & creaturis commune spectat. De Deo vt lumine naturali cognoscibili, & causas saltem virtuales habente agit. Cum dicitur abstrahere à materiâ re & ratione, sermo est de obiecto supernaturali, seu purè Metaphysico, non adæquato.

**II.** Entis conceptum seu formalem, seu obiectiuū, omnino distinctum solus Creator, omnino confusum, vel ex parte confusum ex parte distinctū, solæ creaturæ habere possunt. Conceptus Entis obiectiuus, non est vnus realiter, non etiam ratione simpliciter, nec vllō modo præcisus realiter à conceptibus obiectiuis membrorum Ens diuidentium, quin neq; ratione, nisi secundum quid.

**III.** Est autem Ens ad sua inferiora genus analogum, de quibus omnibus, si Ens pro Quidditate accipias, de solo autē Deo, si pro existente sumas, essentialiter prædicatur. Et quia Ens, Aliquid, ac Res eundem significandi modum habent, tres tantum sunt nō disiunctæ passiones Entis, Vnum, Verum, Bonum: Quæ nihil superaddunt Enti nisi vel negationem, vel relationem rationis; nec tamen nihil, aut rationis entia sunt, cum dicant ipsum Ens, alio tantum modo consideratum, id est cum connotatione negationis, vel relationis, conceptum.

**IV.** Vnum igitur est Ens cum negatione diuisionis in se, cumq; omnibus rebus, passionum more, rectè conuertitur. Opponitur Multo non contradictoriè, sed velut priuatiuè. Nec est idem quod simplex, nec omnem excludit compositionem.

**V.** Verum est Ens cum conformitate rerum ad intellectum maximè diuinum, tanquam ad mensuram primam. Alia etiam non transcendentalis Veritas tam in primâ quam in secundâ operatione intellectus reperitur, quatenus is conformis est rebus apprehensis. Soli complexæ enunciationum Veritati opponitur falsitas, quæ est difformitas inter iudicium intellectus componentis aut diuidentis, ac rem ipsam.

**VI.** Bonum est Ens cum relatione, non finis vel appetibilis, hæc n. posteriora sunt, sed cum relatione conuenientiæ & quidem ad voluntatem diuinam, vnde res habent vt sint, ad eòq; etiam vt bonæ sint. Consistit verò bonitas in congruentia secundum existentiam realem vel actualem, vel possibilem.

*VI. Iden-*

### Theses Philosophicæ.

**VII.** Identitas relatio item rationis, in vnitare essentia fundata, triplex est, Numerica, Specifica, Generica. Diuersitas alia est rationis aut ratiocinata, aut ratiocinantis; alia ex natura rei, quæ & formalem & realem complectitur. Principium cognoscendi omnium primum euidentissimumq; est, *Impossibile est idem simul esse & non esse*; huic proximum; *De quolibet vera est affirmatio vel negatio.*

**VIII.** Enrium aliud est in potentia, aliud in actu; aliud vniuersale, aliud singulare; aliud substantiale, aliud accidentale: aliud necessarium, aliud contingens. Ens in potentia est res, prout dicit connexionem prædicatorum essentialium cum aptitudine ad existendum. Actus seu Existentia ab Essentia vt modus distinguitur.

**IX.** Ens singulare vel indiuiduum tam substantiæ quam accidentis à differentia aliqua positiua per se primò plurib. incommunicabili, vt à principio proximo & intrinseco constituitur; Scotistæ hæc eadem nuncupant, quæ superueniens speciei illam ad indiuiduum contrahit, nobisq; per conditiones indiuiduantes innotescit.

**X.** Suppositum substantia completa incommunicabilis, Persona rationalis nature indiuidua (id est completa & incommunicabilis) substantia definitur. Angelos esse Fide quidem certum est, euidentiam tamē ea de re nulla demonstratio præstat, sicut de Deo præstari certū est, nec n. conuincit Aristoteles ex motu cælorū, sed suadet; quemadmodum etiam ij, qui, cum homines rudes ea dicere, aut facere animaduertunt, quæ sponte non possent, à creaturis intellectualibus eos docent agitari.

### E X P H Y S I C I S.

#### XI.

**P**hysica consideratur Corpus Naturale: cui tria sunt principia intrinseca in fieri. Primum, est Materia prima, quæ licet rectè dicatur pura potentia subiectiua, actum tamen tam essentia, quam existentia habet vtq; nec generari nec corrumpi potest, ita est id, quod, siue cum aliquid generatur, siue cum corrumpitur, ab altero termino ad alterum transit. Secundum principium est Priuatio, non obiectiua, sed formalis, hoc est, non vt ab intellectu concipiente aliquid sit, sed vt est merum nihil, oratioq; formæ. Tertium nobilissimumq; principium est terminus ad quem, seu Forma substantialis, vnum per se cum materia constituens, & ab ea (Animam hominis excipe) secundum existentiam dependens.

**XII.** Natura propriè est forma, analogicè materia; hæc n. passiuū tantum, illa verò etiā actiuum, seu inclinatum saltem est principium motus & quietis. Et hoc ipso ab artificialibus naturalia disparantur, quod illa, qua talia, modificationem solum, & interdum ac hanc quidem, ista autem semper principium motus & quietis in se comprehendant. Nihil n. arte sola, præter modos, producit: si tamē illa sola non sit, sed agentia in super naturalia passiuus applicentur, effectus quoq; naturales, vt lapides, argentum, aurum, apes, serpentes, pullos &c. ab arte gigni posse non inficiamur.

**XIII.** Quatuor sunt causarū genera; Materia, quæ per sustentationem; Forma quæ per informationem (quas causalitates etiā accidentia inter se se exercere possunt) Efficiens, quod per actionem (ad hanc causam Ideas reuoca) & Finis, qui secundum esse reale absens cognitus, per motionem metaphoricam, ratione boni veri vel apparentis causat. Verà secundæ causæ habent efficientiā, ad quarū tamen effectus physicos omnes Deus corporaq; celestia cōcurrunt, nemine interim ad Fati necessitatē adacto. Agentia cognitione finis destituta, non tam agunt propter hunc, quam aguntur. In quibus etiam Causa locum habet; Fortuna verò tantum in agentibus propter finem reperitur: Monstrū deniq; respectu causarū particulariū iam est effectus Fortuitus, iam Casualis.

**XIV.** Extensio alia est entitatiua, alia localis, alia quantitatiua in qua sola consistit ratio Quantitatis à substantiâ realiter distinctæ. Mathematicè indiuisibilia sunt Entia positiua,

Λ 2

positiua,



Univ. Bibl.  
München

positiua, negationemq; connotant, atq; actu in medio continui neq; sunt, neq; id vltimo modo componunt. Quare naturaliter in quolibet continuo Infinitum syncategorematicum inuenire est, Categorematicum autem, ne supernaturaliter quidem in vlla quantitate dari potest.

**XV.** Materiale Loci est superficies prima corporis continentis, formale, distantia à fixis mundi partibus, vnde & immobilitas eius desumitur. Sola corpora per se circumscriptione, Angeli animæq; humanæ definitiue, Deus repletive in loco continentur. Diuina virtute corpus vnum omnes locos, & locū vnū omnia corpora obtinere possunt.

**XVI.** Vbi & Situs à locato vt modi discrepant. Singulæ res creatæ habent proprium tale. Vbi seu præsentiam, non autem singulæ Situm seu positionem. Ad euitandum Vacuum, quod natura omni via refugit, soliusq; Dei potentia efficere potest, graua sursum leuaq; deorsum à principio extrinseco trahuntur. Naturali vi motus, grauium ac leuium; Alterationis item Corruptionis &c. in Vacuo fieri haud potest, si tamen diuina potestas influxū cælorū cæteraq; compensaret, fieret, & localis quidē successiuus esset.

**XVII.** Mensura dicitur qua in cognitionem alicuius venimus. Duratio, est mora rei in sua existentia, à qua in rebus creatis modaliter, in Deo ratione duntaxat distinguitur. Duratio Dei, est Æternitas; Angelorum, animæ rationalis, Cælorum & materiæ primæ, Æuum; Substantiarum corruptibilium, Æuum imperfectum. Inter tempus continuum atq; discretum tale est discrimen, vt illud ex partibus continuo fluentibus, hoc ex instantibus discretis componatur; illud omnium, præter primi mobilis, motū continuum, hoc actuum sibi inuicem discretè succedentium durationem meriatur, illius deniq; instantia semper indiuisibilia sint, huius nequaquam.

**XVIII.** Successio est de essentia Motus non est, cum tamē is actus in potentia prout in potentia, diffinitur, nomine Motus proprie tantum Alteratio, Augmentatio, Latioq; intelligitur. A Mobili Motus per sepe, à termino autem nunquam re ipsa distinguitur; à quo proinde etiam specificatur, & ad cuius prædicamentum, cum non sit genus vniuersum, reuocatur. Terminus primarius Alterationis est Qualitas; Augmentationis, Quantitas; Motus localis ipsum Vbi.

**XIX.** Generatio atq; Corruptio contradictoriè opponuntur, in Generatione formæ; substantiales intrinsecè hoc est, per primum sui esse incipiunt: in corruptione extrinsecè, hoc est, per primum sui non esse desinunt. Quæ creantur & annihilantur, quæque per instantia tantum durant, intrinsecè; motus & ea quæ cum motu successiuo acquiruntur ac deperduntur, extrinsecè incipiunt desinuntq;

**XX.** St indiuisibile à continuo se ugeretur, moueri quoq; & successiuè quidem posset, Omne quod mouetur ab alio mouetur, mediata saltem. Proiecta, tracta, rotata à propiciente, trahente, rotante per virtutem sibi violenter datam mediata; graua autem leuiaq;, animalia item à se ipsis immediate cientur. Inter motum directum & reflexum non necessarium ac semper intercipitur quies.

**XXI.** Mundus est ex quinque corporibus simplicibus certo ordine conflatu, vnus, perfectus, finitus, à Deo in tempore & aeterno ex nihilo conditus, perpetuè duraturus. Potuissent, à Deo plures, potuissent creati perfectiores, sed neq; ab æterno, neq; proprie diuersæ speciei. Atq; esto solum cæli & elementa sint mansura, ipsa tamen etiam mixta ex elementis composita sine peculiari Dei concursu in omnem æternitatem perfectare possent.

**XXII.** Cæli sunt corpora simplicia, incorruptibilia, materijs & formis tam à sublunariibus materijs & formis, quam à se inuicem specie distinctis constantia, ab Intelligentiis non vt à formis informantibus, (cum animata haud sint) sed iuxta stantibus, secundum naturalem inclinationem mota; quanta item, rotunda, dura, solida, ac secundum

dum partes rariore perspicua, secundum densiores (vt sunt stellæ ipsis infixæ) opaca & lucens; nusquam tamen sonantia, nusquam grauitate aut leuitate pollentia, quo uis deniq; sublunari (si uiuentia eximas) præstantiora. Agunt non quidem motu, sed neque lumine & calore tantum, verum alijs etiam potestatibus occultis; & vt causæ quidem vniuersales ad perfectæ, vt particulares verò ad imperfecta animalia gignenda concurrunt: cumq; in voluntatem hominis directè vim suam non exerant, quomodo ceteris. *Nota ad mathematicis generis tua?*

**XXIII.** Sub infimo cælo, quod est Luna, Ignis est eiusdem cum nostro essentia: sub Igne, Aer, cuius media regio incipit, vbi radorum solarium reflexio calefacere desinit. Aqua sphericæ amans figuræ, vnum cum Terra, quæ & ipsa globosa est, magnitudinis & grauitatis habet centrum. Leuitati aeris nulla grauitas, grauitati aquæ nulla leuitas commixta est; specieiq; inter se discrepant omnes quatuor moriuæ qualitates. Elementa in sede naturali neq; sursum neq; deorsum nituntur, ad illam tamen quantò propius, ratò celerius plures ob causas feruntur.

**XXIV.** Constituntur Meteora à frigore & calore, quæ nunc vaporem in nubem, nebulam, pluuiam, pruina, rorem, niuem, grandinem, glaciem, &c. figurant; nunc terræ exhalationem in fulgura, fulmina, sidera stantia, cadentia, saltantia, currentia, &c. trāmutant. Ventus quoq; ac terræ motus ab exhalationibus proueniunt, sicut & Comete, quos rectè Aristotelès collocauit infra lunam, non item rectè Galaxiam.

**XXV.** Cum Generatio sit *mutatio totius in totum*, &c. asserendum est, id quod per se generatur esse ipsum compositum, generationisq; rationem in vniuersione formæ cū materia constitutam esse; quæ quidem vniuersione subiecti præuariumq; dispositionum, sæpe in tempore, ratione autem termini, semper in instanti perficitur.

**XXVI.** Forma Corporeitatis à cæteris formis specificis re non est distincta, tot quippe in composito formæ substantiales re distinctæ, quorū prædicata essentialia non sunt. Quamuis aliter se habeat partiales heterogeneorum formæ, quæ vni totali subordinantur, & à qua realiter separantur, faciuntq; vt neq; formæ Cadaveris neq; Embryonis admittamus, neque materiam vnquam omni forma spoliata dicamus, saluo interim illò Philosophi effato, *Corruptio Sensus est generatio aliorum*.

**XXVII.** Ex eiusdem formis partialibus colligi potest, etiam si in corruptione inanimatorum vsq; ad materiã primam; quoad formas substantiales, fiat resolutio, non fieri tamen in corruptione euentium; quemadmodum in nullius omnino corruptione resolutio fit vsq; ad materiã primã, quo ad oēs formas accidentales, siquidē quãtitas interminata coæua est materiæ primæ, & per se nec generabilis nec corruptibilis.

**XXVIII.** Accidentium subiectum denominationis est compositum Physicum; in hæfionis, nunc formæ, cui soli insunt accidentia spiritalia; potentia animastica; ac proprietates ex essentia rei dimanantes; nunc materia in qua sola etiam quantitas, & hac mediante cætera accidentia materialia subiiciuntur; nunc ipsum quoq; compositum, cui illi actus, qui vtramq; compositi partem afficiunt, inhaerent.

**XXIX.** Alteratio à Generatione differt, quòd hæc sit motus ad substantiam, illa ad qualitatem; iterum, quòd hæc pro subiecto eodē materiam, illa compositum habeat: tum etiam quòd Generatio terminum à quo priuatiuū, Alteratio (corruptiua proprie) que dicta quæ generationi subseruit) posituum relinquat, cum fiat ad qualitates teritæ speciei in quibus contrarias reperitur; deniq; quòd Generatio in instanti, Alteratio in tempore contingat. Est enim Alteratio non solum extensiuè, sed intensiuè quoque vt plurimum motus continuus & successiuus, fit namq; intensio qualitatum, per additionem gradus ad gradum.

**XXX.** Omne agens debet coniunctum esse passio, quam ob rem actio in distans

non datur. Motus, Actio, & Passio in patiente subieciuntur, & à se inuicem ratione tantum discriminantur. Cum substantiæ agunt actione propriè dicta, accidentibus tanquam instrumentis vtuntur.

**XXXI.** Antiperistasis accidit ob contrarium circumobstans, cum ita vel detinetur diutius, vel extrahitur celerius, qualitas rei violenter impressa; neque enim in Antiperistasi vlla qualitas à se ipsa intendi potest, cum nihil agat in se ipsum. Quin neque in aliud quidquam agit, si illi simile sit in specie atque intentione. Cum actione inter contrarias qualitates versante, si agens & patiens in materiâ & spherâ actiuitatis conueniant, semper coniuncta est Reactio, non tamen cum victoria. Nonnunquam in motu locali etiam aliquo modo cernitur Reactio.

**XXXII.** Mixta perfecta constant ex omnibus quatuor elementis, seu vt Aristot. melius dici ait, ex virtutibus elementorum; hæc siquidem non actus, sed per refractas tantum in mixto remanent qualitates; quæ etiã taliter castigatæ, Complexio, Natura, seu Temperamentum vocantur. Temperamentum difforme multis in mixtis esse indubie asseritur, vni forme autem mixtis inanimatis et si fortasse non repugnet, animatis tamen naturaliter conuenire nequit.

**XXXIII.** Elementa tam formas substantiales quam accidentales habent: Substantiales nomine carent, accidentales sunt primæ quatuor ac positivæ qualitates; ex quibus cuius elementum binæ naturaliter cõpetunt, vna in summo altera in remissior: præter has non est necesse ponere alias virtuales. Omne elementum immediatè in alterum abire potest, facilius tamen symbolica, quam asymbolica inuicem tranmutantur. Quicquid corruptum est, idem numero potest diuina tantum virtute reparari.

**XXXIV.** Anima primus est actus perfectioq; corporis naturalis, & talis planè, vt partes ipsius sint instrumenta. Diuiditur in Vegetatiuâ, Sensitive, Intellectiuâ. Subiectu illius adæquatū est corpus mixtū heterogeneū, cuius nec vnâ tantū partē informat, nec oēs; quatuor enim humores, adeoq; etiã lac, adeps, spiritus vitales & animales, qui à sanguine in accidentibus tantum quibusdam differunt, itemq; vngues & capilli non viuunt. Inter ea autē quæ viuunt, principatum tenet Cor, post hoc Cerebrum & Hepar.

**XXXV.** Vni viuenti vnica est Anima, eaq; in solo hōie indiuisibilis, quia immortalis: tota proinde in toto, tota in quauis existit parte, non modo secundum entitatē, verum etiam secundum oēs potentias, hæc n. in sola anima subiiciuntur, & ab hac, vt etiam à se inuicem, non nisi formaliter distinguuntur. Specifica illarum diuersitas ab habitudine ad actus & obiecta prima prouenit.

**XXXVI.** Per potentiam Animæ Vegetatiuæ Concoctiuâ alimentum (quod nec elementū, nec odor vllus esse potest) calore stomachi in chylum vertitur; per Nutritiuam, deinde (chylus prius in quatuor humores ab hepate distincto) in substantiam viuentis mutatur, parteq; assidua caloris actione dilapsæ, toto vitæ spacio restaurantur, vt dubium sit, maneatne idem semper numero viuens, nec ne, ac sane physicè & adæquatè nullum manere censendum est.

**XXXVII.** Per potentiam Augmentatiuâ vsq; ad consistentiæ tempus, id quod viuentis adgeneratur, secundum omnē loci dimensionem extenditur, viuensq; ad debitū magnitudinis terminum perducitur. Habent n. corpora animata ex natura sua certos magnitudinis limites, quos transgredi citra incommodum nequeunt, quod de inanimatis non dices. Per potentiam deniq; animæ Vegetantis Generatiuam, aliquid alimenti in semen præparatur, quo viuens in specie sua se conseruare possit.

**XXXVIII.** Ad sensationem species sensibiles ab obiectis proprijs productæ, à communibus modificatæ, concurrunt quidem, in earum tñ nuda receptione sensatio non consistit. Si obiecta immediata sunt, sensus aliquos impediunt, si improprietate, oēs lædunt.

lædunt. Quia potentia non potest ferri extra suum obiectum, idè sensus exterior non percipit suam sensationem.

**XXXIX.** Sensibile proprium est quod alio sensu sentiri non potest, & circa quod error fieri nequit: potest namq; circa sensibile per accidens & commune, Visus enim non errat esse colorem, aut auditus esse sonum, sed quid sit id quod est infectum colore, vel sibi, aut quid sit id quod sonat, vel son. Nunquid n. parua sæpe moles ingentis magnitudinis & ingens magnitudo parua instar molis apparet? Quoties sublimia depressis, humilia altis, dextera laeuis, quadrata rotundis assimilantur? An non frequenter stantia moueri, mota quiescere putantur? Et quod mirabilius: nunquid multa non eò versus, quod feruntur, sed in oppositam planè partem ire videntur?

**XL.** Non est ponendū radios ab oculo ad obiectū emitti, sed immitti, & quidè rectis lineis, per mediū illuminatū, ac in instar: quod cū sit, anima in crystallo visionē elicit. Et quia sub obiecto visus, tam verus quam apparens cõprehenditur color, idcirco imagines quoq; è speculis relucentes, splendoresq; è rebus lucidis exilientes cernuntur. Sonū, qui ab auditu in aère intra myriagam foramenq; cæcum contento percipitur, ex percussione duorum corporum gigni, & in medio, si id sit, intercepti, perspicuum est. Olfactus in carum enlis mammillaribus odorem, Gustus in lingua saporem, Tactus in toto corpore tangibilem sentit qualitatē.

**XLI.** Vnus est sensus internus, qui cerebrū p organo, obiecta sensuū externorū, resq; aliquas insensatas p obiecto, habet, variisq; secundū varias operationes nobis donatur, nūc n. sensus communis, nunc Æstimatoria, Imaginaria, Phantasia, Memoria sic appellatur. Sensus iste, si quid bonum esse iudicat, Appetitus sensitivus actum profectio nis exercet, si quid verò malum æstimat, fugitur id ab eodem appetitu, ad quæ etiam præstanda animalibus potentia Locomotiuæ est concessa.

**XLII.** Anima hōis forma verè informans, ad indiuiduorū multiplicationē multiplicata, & in oibus eiusdè perfectionis essentialis, lumini quoq; naturali, immortalitatem suam satis ostendens, ad reliquas potentias etiã intellectum ac voluntatem addit.

**XLIII.** Intellectus geminus est, Agens vnus, qui ad præsentia phantasmata species intelligibiles procreat: Possibilis alter: qui receptis speciebus intellectioe elicit, & ob intellectioe præteriti vt præteriti est, etiã Memorix nomen accipit. Si obiecti nōie, id q; vel directè, vel reflexè, p proprias vel alienas species percipitur, afficiamus. Intellectus obiectū est Ens, sicut Volūtaris (quæ & appetitus rationalis dicitur) bonū & malū vt talia, Voluntas n. licet quoad exercitium libera sit, nullum tamen bonum vt bonū fugere, nullum malum vt malum prosequi potest.

## E X L O G I C I S.

XLIV.



Ad omnem Scientiam totalè Logica seu Dialectica, vera Philosophiæ pars, necessaria est; nomenq; tum artis, tum scientiæ practicæ atque aëtiæ sibi vindicat. Pro obiecto principali, Demonstrationem; pro adæquato, rectam Dissertationem habet: cuius tres sunt species, Definitio, Diuisio, & Argumentatio. Diuiditurq; in Docentè ac Vttem habitū consideratione non re distinctū. **XLV.** Vniuersalia non tantū sunt signa, sed etiã ipsæ res, tā n. res quæ signū de multis prædicatur, signum quidè proxime & immediatè, res verò remotè ac principaliter. Iuxta quintuplicè prædicandi modum, quinq; Vniuersalia colliguntur, Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens; quamuis alijs prædicandi modis, plura quoq; pauciora numerari possint. Formale significatum Vniuersalis obiecti tantū in intellectu, materiale realiter duntaxat in suis singularibus existit.

**XLVI.** In decem Prædicamentis nō sola nōia rerum, sed ipsæ etiã oēsq; finitæ perfectionis

tionis Res, in cōplexis ac vniuocis nōibus significatē, quatenus inter se, secundū subiectionē prædicationēq; ordinabiles sunt, vel directē vel indirectē colloantur. Quod si autē cōplexis, æquiuocis; analogicis nōibus exprimantur, aut si incōpletæ sint, reduciūnt ad prædicamēta p̄tinent. Ac licet oīa quæ in Categorijs directē ordinantur, de inferioribus suis vniuocē, essentialiterq; & in quæstione, Quid est, affirmētur; ea tñ etiam omnia, quæ in nouem posterioribus sunt dispositionibus, de substantia denominationis tantū accidētaliterq; p̄dicantur. Hinc rectius ex cōcretis substantiarū, accidentiūq; abstractis Prædicamēta cōstruunt; quamq̄ posteriora ē cōcretis quoq; fieri possint.

*XLVII.* Substantiā quæ est Ens, p se existens, secundū Aristotel. magis & minus non suscipit, etiā recte quoq; ab eodē dictū sit, Substantias primas, quæ significat hoc aliqd magis esse substantias; quæ secundas, quæ significant quale aliqd. Quantitas fundamētū est æqualitatis & inæqualitatis. sicut Qualitas similitudinis & dissimilitudinis; Numerus & Oratio nō sunt species Quantitatis, sicut neq; punctū. Ad Relationē exigitur fundamētū (a quo realiter nō differt) deinde si id accidēs est, subiectū; deniq; terminus. In vltimis sex Categorijs ponūtur modi absoluti intrinseci, ab extrinseco resultates.

*XLVIII.* Enunciatio p̄ materia subiectū & prædicatū, pro forma copulā habet; quæ quidē copulā nō magis stat à parte subiecti quā p̄dicati. Sub Oratione etiā vt Aristot. desinit; tanq̄ sub genere Enūciationes tā hypotheticæ quā categoricæ cōprehendūtur, etiā Periphrasim aliud dicat. Enūciationes cōtradictoriæ nunq̄ simul veræ, nunq̄ simul falsæ esse possunt. At quid p̄tentiā ē illarū quæ sunt de futuro cōtingenti; altera determinate vera; altera determinate falsa est? Multi aiūt, multi negant; verē in suo sensu.

*XLIX.* Consequētia formalis genus est Cōuersionis, Inductionis, & Syllogismi, non itē Enchymematis. Syllogismi materia remota sunt tres termini, ex quorū triplici cōbinatione tres existunt figure, nec plures: materia autē propinqua, sunt due p̄positiones, cum conclusionē, quæ, si syllogismus p̄ toto discursu accipiarur; de essentia. quidē eius est; is tñ nunq̄ in cōclusionē solā cōsistit. Ex apertē falsis non sit syllogismus, nisi secundū quid, q̄ itē nōnulli de paralogismis, hoc est Sophistico & Pseudographo asserūt. Vicia mōdorū in syllogismis inutiliū, definitione formalis cōsequētiæ demonstrant. *Z.* Demonstratio est syllogismus faciēs scire: scire est recognoscere p̄ causam, p̄pter quā res est, & cognoscere q̄ illius causa sit, & quod res aliter habere se non possit. Res quæ scitur est effectus seu prædicatū conclusionis, & aliquo etiā modo ipsa cōclusio seu connexio maioris ac minoris extremi: Causa verò propter quā res est, & p̄pter quā rem cognoscimus, est medius terminus, qui si non sit causa rei, nō parit scientiam à priori, si tamen effectus sit, gignere potest scientiam à posteriori. Scientia totalis, tot habitus partiales continet, quod conclusiones.

OMNIA AD MAIOREM DEI DEIPAREQVE VIRG.  
MARIE GLORIAM.

Totius, verē & Peripareticę Philosophiæ œconomiam præsentēs Conclusiones legētium oculis exhibent: Quam obrem, vtiliter ad pub. disputacionem, absoluto triennij eiusdem Philosophiæ cursu, proponuntur.

Petrus Stenartius, Collegij Theologici hoc tempore Decanus, Procancel-  
larius & Acad. Ingolstadii, Rector.

Hac disputatio cum & copiosa sit & eruditā, digna est qua typis excusa in plurimum  
manus deueniat.

Gualterus Mundbrot de Societate Iesu Philosophiæ Professor Ordiniarius & Collegij Philosophici pro tempore Decanus.